

Nos capitulum ecclesiae Scepusiensis memoriae commendamus tenore praesentium significantes, quibus expedit universis, quod prudens et circumspectus vir Georgius Seiffrid, iuratus civis oppidi Swedler et Georgius Praetor, Iudi rector eiusdem oppidi Swedleriensis, suis prudentum item ac circumsectorum Valentini Fleischer, iudicis primarii ceterorumque iuratorum totius denique communitatis antefati oppidi Swedler nominibus et in personis nostrum personaliter venientibus in conspectum exhibuerunt et praesentarunt nobis litteras trinas felicis recordationis serenissimi quondam Joannis, regis Hungariae, in simplici papyro patenter confectas et emanatas, sigilloque eiusdem in inferiori earundem rubrae caerae subimpresso corroboratas, manuque propria admodum reverendi quasi magistri Thomae Thathar, archidiaconi Thornensis, secretarii dictae regiae maiestatis, subscriptas. Primas quidem iudicii et iuratis quondam civibus oppidi Geölnicz, secundas vero egregio olim Sebastiano Sauer, camerario dictae maiestatis de Szolnok, ac tertias itidem egregio Nicolao Derenczeny, tum capitaneo arcis Scepusiensibus praeceptorie, quod libertates et solutionem census unius anni secundum urbarium saepefati oppidi Swedler exemptionem, isonantes ac directas patentes nos debita cum instantia, ut nos easdem transumi et transcribi, siquidem eas ob metumque recyclitationis et amissionis earundem huc illuc circumferre non auderent dignaremur. Quarum quidem primarum tenor talis est. Joannes Dei gratia rex Hungariae, Dalmatiae et Croatiae etc. fidelibus nostris circumspecti iudici et iuratis civibus oppidi nostri Geölnicensis salutem et gratiam. Quoniam nos fideles nostros circumspectos, iudicem et iuratos ac universos incolas oppidi nostri Swedler, in eisdem libertatibus et consuetudinibus conservare volumus, in quibus hactenus vigore quarundam litterarum nostrarum in papyro duplici conscriptarum et per nos, dum adhuc in aetate iuniori constituti fuissetus, eisdem datarum et concessarum fuerunt et perstiterunt tantisper, donec melius de statu et necessitatibus ipsorum melius informati fuerimus et aliter de conditione ipsorum disponere poterimus. Ideo mandamus vobis harum serie firmiter, quatenus acceptis praesentibus

praefatos incolas dicti oppidi nostri Swedler, contra continentias dictarum litterarum nostrarum et consuetudines ipsorum, nullis in rebus vexare aut turbare audeatis, sed contenta praefatarum litterarum nostrarum eisdem inviolabiliter observare debeatis et teneamini, tam diu quousque aliud a nobis habueritis in mandatis secus non factur praesentibus perlectis exhibentis restitutis. Datum Budae feria quinta proxima post dominicam iudica anno domini millesimo quingentesimo vigesimo septimo. Subscriptio erat talis reverendi magistri Thomae Thathar, archidiaconi Thornensi secretarii regiae maiestatis. Secundarum tenor talis est. Joannis Dei gratia rex Hungariae, Dalmatiae et Croatiae etc. fidei nostro egregio Sebastiano Sauer, camerario nostro de Szmolnok, salutem et gratiam. Nos, inserti inopiae et paupertatis, in quam fideles nostri montanistae de Swedler, propter iniuriam temporum et varias exactiones devenisti dicuntur, solutionem urbararum de montibus et fodinis ipsorum camerae nostrae provenire debentur, per unius anni integram revolutionem a data praesentium computando eisdem relaxandum duximus et relaxamus per praesentes. Ideo fidelitati vestrae harum serie firmiter committimus et mandamus, quatenus habita praesentium notitia, praefatos montanistos nostros de Swedler ad solutionem urbararum de fodinis ipsorum infra spatium unius ut praemittitur anni, compellere audeatis. Sed eisdem huiusmodi gratiam nostram inviolabiliter observare debeatis et teneamini. Secus non factur praesentibus perlectis exhibentis restitutis. Datum Budae feria quinta proxima post dominicam iudica anno domini millesimo quingentesimo vigesimo septimo. Subscriptio sequabatur talis reverendi magistri Thomae Thathar, archidiaconi Thornensi secretarii regiatis. Tertiarum contentia talis est. Joannes, Dei gratia rex Hungariae, Dalmatiae et Croatiae etc. fidei nostro egregio Nicolao Derencheny, capitaneo nostro Scepusiensi, salutem et gratiam. Quoniam nos fideles nostros circumspectos iudicem ac iuratos et universos incolas oppidi nostri Swedler in eisdem libertatibus et consuetudinibus conservare volumus, in quibus hactenus vigore quarundam litterarum nostrarum, in papyro duplici conscriptarum et per nos,

dum adhuc in aetate iuniori constituti fuisset eisdem datarum et concessarum fuerunt et perstiterunt tantisper, donec melius de statu et necessitatibus ipsorum informati fuerimus et aliter de conditione ipsorum disponere poterimus. Ideo mandamus vobis harum serie firmiter, quatenus acceptis praesentibus, praefatos incolas dicti oppidi nostri Swedler, contra continentias dictarum litterarum nostrarum et consuetudines ipsorum, nullis in rebus vexare aut turbare audeatis, sed contenta praefatarum liberarum nostrarum eisdem inviolabiliter observare debeatis et teneamini, tamdiu quousque aliud a nobis habueritis in mandatis. Secus non factur praesentibus perlectis exhibentis restitutis. Datum Budae feria quinta proxima post dominicam judica anno domini millesimo quingentesimo vigesimo septimo. Unde nos praemissis petitionibus antelatorum Georgii Seiffrid et alterius Georgii Praetorii, nobis factis tanquam iustis et legitimis exauditis, praescriptas litteras in modum privilegii emanatas, non abrasas, non cancellatas, res vitiatas verum omni prorsus suscipione carentes, de verbo ad verbum sine diminutione et augmento aliquali transumi et transcribi faciendum memorataeque toti communitati dicti oppidi Swedler iurium eorundem futuram ad cautelam, necessarias sub impendenti nostro capitulari et authentico extradandas esse duximus et concedendas communitati id a nobis exposcente aequitate.

Datum in octava Epiphaniae Domini anno eiusdem millesimo sexcentesimo trigesimo septimo.

*Lecta per me vicarium et seniore[m] canonicum
Scepusiensem...*